2\. *Electores & Principes Naumburgi, Anno 1561. congregati teſtati ſunt: ſe non velle Formulæ Confeſsionis Auguſtanæ, Anno 1540. & 1541. excuſæ & in multis auctæ quicquam derogare, nec ab eà latum unguem diſcedere: ſed tàm ſuperiorem, nempè primam, quàm utramque hanc (poſteriorem ſcilicet) editionem agnoſcere & retinere.* Pag. 69. *Siquidem ita referente Sturmio ex Epiſtola Buceri ad Lycoſtenem in Commonit. Antipap. 4. inter Principes & omnes legatos convenerat, temporis cauſa hanc communem OMNIVM Confeſsionem ſcriptam eſſe, ita etiam Cæſari Anno 1530. datam: Vt ex illa non jus ſit, contra noſtros in conventibus ullis Imperii diſceptare.*

3\. *Quia hoc jus ſibi reſervarunt, iccircò Melanchton, multis locis ampliavit: idque non ſolum SCITV, ſed etiam CONSENSV & IVSSV Electoris atque Landgravii.*

Hæc ſunt Elector Sereniſsime, pulchella illa Emblemata, quib. perſonatus iſte Benbellona, partim pro-